



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Testimonia Antiquorum & Recentiorum potiora de Augustino, secundum
seriem Seculorum disposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

Testimonia Antiquorum & Recentiorum potiora de Augu-
stino, secundum seriem Seculorum disposita.

Caelestinus Papa in prima ad Episcopos Galliarum Epistola:

Augustinum sanctae Recordationis Virum pro vita sua ac Meritis in nostra Communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae Suspicionis saltem Rumor adperfit, quem tanta olim Scientiae meminimus fuisse, ut inter optimos Magistros etiam ante me à meis semper Praedecessoribus haberetur.

NB. Meminit hujus Elogii inter alios Bellarminus L.II. de Grat. & lib. Arb. c. 11.

Geladius in Concilio septuaginta Episcoporum Romae celebrato,

non solum probavit omnia Augustini & Prosperi Scripta, sed etiam contra damnavit libellos Joh. Cassiani & Faustii Regiensis; cum tamen non ignoraret, potissimam contentionem inter Prosperum & Cassianum, ac deinde inter Fulgentium & Faustum fuisse de Scriptis Augustini &c.

NB. Verba sunt haec Bellarmini L. & c. cit.

Concilium Arausicanum secundum,

quod omnium maxime Catholicam de Gratia Dei doctrinam illustravit, nihil est aliud, quam confirmatio Capitulorum ex libris Augustini excerptorum, & a Sede Apostolica transmissorum, ut videre est ex Praefatione Concilii.

Ita scribit Octavius, Senonensis Archi-Episcopus, in Augustino per se ipsum docente,

Parisiis ante hos triginta tres annos secunda vice edito.

Adspulatur Coriolanus in Summa Conciliorum, cujus verba in hujus

Concilii Proemio sunt sequentia:

Hoc Episcoporum Conventu pro Fide Catholica Scriptisque Augustini adserendis & defendendis, de Gratia & libero Arbitrio viginti quinque Canones sunt constituti, qui omnes fere ad unum sunt Sententiae & verba Augustini, & Scriptis Ipsius diversis desumpta, ut in Adnotationibus ostenditur.

Concilium Generale Quintum:

Sequitur per omnia Sanctum Augustinum, & suscipimus omnia, quae de recta Fide & condemnatione haereticorum expositi.

Habet haec inter Elogia Sanderus, Vita Augustini praemissa, qui isdem, post Hieronymum Torrentem, haec etiam verba ex septima Concilio Florentini Sessione adenser, ubi Andreas, Praesul Colossensis, pro Romana Ecclesia sic locutus legitur:

Nunc sanctorum Doctorum auctoritates in medium adferamus, ac imprimis Augustini, illustrissimi Latinorum Doctoris, quem Quinta Synodus consecravit.

NB. Bailius quidem in Summa Conciliorum ad Collationem tertiam Concilii generalis Quinti meminit, hanc Augustini cum Elogio mentionem esse factam, sed non solum, verum aliorum quoque Patrum; in descriptione autem Synodi Florentinae, loco Quinta, legit cuncta Synodus, quod num plus, an minus ad laudes Augustini pertineat, Lector eruditus judicabit.

Facundus, Hermianensis Episcopus, pro Defens-

trium Capit. lib. 9. pag. m. 408.

Augustinus, praecipuus Fidei Catholicae praedicator &c.

Prosper Aquitanus, Leonis Papa Notarius post, secundum aliquos,

Episcopus in Gallia, L. III. de Vita contempl. c. 31.

S. Augustinus, Episcopus acer Ingenio, snavis Eloquio, secularis literaturae peritus, in laboribus Ecclesiasticis operosus, in Disputationibus quotidianis clarus, in omni actione sua compositus, in expositione Fidei nostrae Catholicus, in Quaestionibus absolvendis acutus, in revincendis haereticis circumspectus, in explicandis Scripturis canonicis cautus.

Idem in Epistola de Gratia & libero Arbitrio:

Verfutas (adversariorum) cum & orientalium Episcoporum judicia, & Apostolicae Sedis auctoritas, & Africanorum Conciliorum vigilantia deprehenderit, beatissimus quoque Augustinus, praecipua utique in hoc tempore portio Sacerdotum Domini, copiose & pulchre in multis Voluminum Disputationibus destruxit, utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime Spiritus Veritatis implevit, habens etiam hanc Scientiae & Sapientiae ex Dei Charitate virtutem, ut non solum istam (haeresin) adhuc in suis detractionibus palpitantem, sed etiam multas prius haereses invicto Verbi gladio debellaret.

Et paulo infra:

Noverunt (obtretratores Augustini) non solum Romanam Africanamque Ecclesiam, sed & per omnes Mundi partes universos Promissionis filios, cum Doctrina hujus Viri, sicut in tota Fide, ita in Gratiae confessione congruere.

Et in fine Epistola:

Si verè instrui desideras, ipsis beati Augustini Disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei Gratia defaecatissimam ac saluberrimam Evangelicam Apostolicamque Doctrinam intelligentiam consequaris.

Idem in libro contra Collatorem:

Viginti amplius Annis contra inimicos Gratiae Dei Catholicae aeternae hujus Viri ductu pugnat, & vincit.

Et

Et in Carmine contra ingratos :

Augustinus erat, quem CHRISTI Gratia, cornu
uberiore rigans, nostro lumen dedit avo,
attentum vero de Lumine; nam cibus illi,
& vita & requies, Deus est, omnis que voluptas
unus amor Christi est, unus Christi est honor illi,
& dum nulla sibi tribuit bona, sic Deus illi
omnia, & in sancto regnat Sapientia Templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de Grege sancto
insanas pepulere feras, industria major,
majus opus, totum præstantius imbuere orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
quæque per ambages anceps iter egit operas,
hujus ab occurfu est preventus, mille viarum
insidias aditum non reperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
istius ore Viri fecit Deus. Istius ore
flumina laborum mundum effluxere per omnem,
qua mites humilesque bibunt, campisque animorum
certant vitæ Doctrina immutare rivus.

Fulgentius L. II. de Verit. Prædest. & Grat. c. 18.

Doctrina Catholicorum Patrum Apostolicis Institutionibus tradita permanet in Ecclesiis sine aliqua dubitatione, quam Græci Latiniq; Pontifices, Sancti Spiritus infusione firmati, uno ac indiffonabili semper tenuere consensu, in qua Beatus Augustinus indutus Virtute ex alto abundantius illis omnibus laboravit, non autem Ipse, sed Gratia Dei cum illo; ipsius enim ministerio Dominus uberiores hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit. Quippe ipso adhuc in corpore constituto Hæresis Pelagiana adversus Gratiam Dei mortiferis ausibus rebellavit, nec defuit in vita Benignitas miserantis Dei, quæ Militem suum spiritualis Gratia armis tanto fortius præcingeret, quanto acrius adversus eandem iræ vasa Diabolus instigare. Proinde memoratus Dei Pontifex, turrim fortitudinis ipsam tenens Gratiam, & exinde cuncta hostilium telorum machinamenta celestis Juvaminis virtute confringens, non solum Ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando victa pravitas ausu recidivo caput infandum erigere niteretur, ostendit. Hunc legat omnis, qui Salutem æternam desiderat adipisci humiliter orans Dominum Misericordia, ut eundem intelligentiæ Spiritum legens accipiat, quem Ille accepit, ut scriberet; & eandem illuminationis Gratiam adipiscatur, ut discat, quam Ille adeptus est, ut doceret.

Victor Uticensis, secundum recentiores Vitenfis, lib. 1. de Persæc. Vandal.

Augustinus, Flumen Eloquentiæ, Sacerdotum Gloria, Doctorum Magister, Lux Mundi, Magnus Verbi Divini Præco, strenuus (Veritatis) propugnator, qui gladio Doctrinæ ac Prædicationis centicipitem Hæresin bestiam trucidavit; insignis (Ecclesiæ) architectus, qui domum Dei suffulcit, & intus suæ Eruditionis artificio elaboravit. Magnus Doctrinæ Sol, unicus Sapientiæ Phoenix, Gemma Doctorum &c.

Cassiodorus in Prol. super Psalter.

Augustinus, omnium literarum egregius Magister, & quod in ubertate rarum est, cautissimus Disputator. Decurrit tanquam Fons purissimus, nulla fece pollutus, sed in integritate Fidei perseverans, nescit hæreticus locum dare, undè se possint aliqua colluctatione defendere. Totus Catholicus, totus orthodoxus invenitur, & in Ecclesia Domini suavissimo hidore resplendens, superni Luminis claritate radiat.

Gregorius M. lib. 8. Epist. 37.

Si delitioso cupitis pabulo faginari, Beati Augustini opuscula legite, & ad comparationem Siliginis illius nostrum furfurem non quaratis.

Ildephonfus, Archi-Episcopus Toletanus, Serm. II. de B. Virg.

Augustino contradicere fas non est.

Beda, dictus Venerabilis, lib. de sex ar. Mundi:

Augustinus omnium Ecclesiarum Doctor eximius.

Idem L. II. de Tabernaculo:

Augustinus omnia, quæ Fidem poterant turbare, hæreticorum venena evacuat.

Remigius Antiodocensis, Comment. super Epist. poster. Pauli ad Corinth.

Sicut Sol in lumine excedit omnes Planetas, ita Augustinus omnes excelsit (Doctores) in exponendis sacras Scripturas.

Remigius Lugdunensis, de Scriptura tenenda Veritate, ex Editione Mavgvini Parisina:

De Beati Augustini libris & Scriptis, in quibus ex necessitate nova, id est, Pelagianæ hæresis destruentia, & Catholica Fidei defendenda instantissima intentione, de Natura & Gratia, de Gratia & libero Arbitrio, de Correctione & Gratia, de Prædestinatione Sanctorum & Bono Perseverantia, juxta profunditatem Scripturae Sanctæ, & Evangelicæ ac Apostolicæ Doctrinæ regulam, multipliciter disputavit, adhuc Ipso vivente, sicut Prosper & Hilarius ad Eum scribunt, & multo magis post obitum Ejus, propter obscuritatem rerum & tarditatem minus intelligentium, multiplex querela, maxime intra Gallias, est
exor-

exorta; sed continuo per Divinæ Misericordiæ Providentiæ, & Concilii ac Statutis Beatissimorum Patrum, & Decretis ac autoritate Sedis Apostolicæ Pontificum solertissimè sedata atque sanata, ita, ut stultis & indisciplinatis Quæstionibus imponeretur silentium, & sanctissimi ac sincerissimi Doctoris autoritas in omnibus Ecclesiis atque in ipsa Sede Apostolica confirmaretur.

Prudentius, *Episcopus Tricassinus, in Epistola ad Hincmarum, eodem Maugvino Editore:*

Vestram Sinceritatem hoc primùm præcipuè que moneo, & postulo, ut Doctrinam Beatissimi Patris Augustini, omnium absque ulla dubietate undecunque doctissimi, Sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam, (quippè nullus Doctorum abstrusa earum scrupulosius est rimatus, (qui) diligentius exquiserit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminaverit) Vestri Pontificatus tempore, quolibet commento non permittatis impugnari, quandoquidem tanto Gratia cœlestis Munere exiit donata, ut nullo cuiusquam conamine possit ullatenus evelli, eum eam & Apostolicæ Sedis sublimitas & totius Ecclesiæ Catholicæ unitas auctoritate concordissima adprobarint, ac roborarint, adeo, ut nullus Ei singulariter, verùm Universitati Ecclesiæ Catholicæ cum ea & in ea queat adniti. Si enim adversam orthodoxæ Fidei in quoquam conspiceret, nequaquam Ecclesiæ Romanæ Antistes venerabilis Innocentius cum totius orbis Episcopis eam suscepisset, neque prædictum Patrem memorabilem suarum Epistolarum officii communiter privatimque adfecisset, neque ejus Successor Zosimus eodem tramite concurrisset, neque Bonifacius, ejusdem Sedis Apostolicæ Præsul, Epistolas Pelagianorum sibi delatas Ei ad respondendum misisset, aut Responsionem Ejus quatuor libris editam probabiliter atque honorabiliter suscepisset. Post adductum *Papæ Cœlestini Elogium, quod primum hic occupat locum, ita pergit:* Nec minus Leo Papa Beatissimus super Ejus affirmatione credendus est sensisse, qui damnans Eutychetis insaniam, cum Fidem orthodoxam collectis Doctorum Catholicorum Sententiis adstrueret, Beati Augustini Sententiis interponere non ambigit.

Lupus Servatus, *ejusdem Seculi cum Remigio Lugdunensi & Prudentio Tricassino Scriptor, Moguntinensis Ecclesiæ Presbyter, quem Stephanus Balutius eundem putat esse cum Lupo, Abbate Ferrariensi, in libro de tribus Quæstionibus, Quæstione prima:*

Augustinus, quem nescias, utrum inventione rerum magis, an dicendi felicitate, (alij legunt, facilitate) mireris, de libero Arbitrio & Gratia Dei differuit tanta, ut possint vix ab aliquo legi, omnia verò, ut mea fert opinio, quanquam fiat clarissima & utilissima, à nemine memoria contineri. Quid enim sentendum sit de libero Arbitrio & Gratia Dei, sicut nemo tam laboriosa indagine vestigavit, nemo, ut ille, tam diu versavit, ita, ut pæcunctorum dixerim, nullus utrumque tanta Veritatis proprietate invenit, nullus tanta Eloquentiæ ubertate adseruit, nullus tanta inexpugnabilium argumentorum copia defendit.

Et Quæstione secunda:

In libris Retractionum, quibus non erubuit publicare, in quibuscunque se deprehendit errasse, & severitate censoria damnare, & adhibita, ubicunque potuit, Auctoritatis Divinæ norma & acumine argumentationis cautiissima corrigere, eodumque profecit, ut Studiosus quisque singularem Ejus Doctrinam securus debeat haurire, malitiosus non inveniat in ea, quod justè reprehendat.

Haymo, *Episcopus Halberstadtensis, ad II. Corinth. c. 12.*

Augustinus in elucidandis Quæstionibus omnes post Apostolos præcellit Doctores,

Jonas, *Episcopus Aurelianensis, lib. I. de Cultu Imag.*

Augustinum constat inter omnes Latinos Doctores extitisse disertissimum, Sanctæque Dei Ecclesiæ formalissimum Defensorem & Propugnatorem; qui, etsi non solus, Divina tamen suffragante Gratia, aliis facundius, copiosiusque, diversarum Hæresum (fortè, hæreticorum) & Schismaticorum perverfa Statuta fortiter rationabiliterque evertit, & destruxit.

Bernhardus, *Abbas Clavevallensis, Serm. 80. super Cant.*

Augustinus, validissimus hæreticorum malleus,

Idem in Epist. 77. ad Hugonem de S. Victore, mentionem faciens Augustini & Ambrosii, ita porro scripsit:

Ab his duabus columnis, (Augustinum loquor & Ambrosium) crede mihi, difficile à vellor; cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor.

Idem L. III. de Confid. ad Eugenium, mox à princ.

Augustinus à Beato Gregorio destinatus est formam Fidei tradere Angelis.

NB. Sic legitur in Editione Antverpiana, sub initium hujus Seculi edita, sed vitiosissime, quia pro Angelis legendum est Anglis; neque verba hæc sunt intelligenda de Augustino Hipponensi, sed Anglorum, uti vocant, Apostolo, in Angliam misso per Gregorium, sesqui Seculo & amplius post obitum Augustini Hipponensis.

Rupertus, *Abbas Tuitiensis, lib. 7. de oper. Spir. S. cap. 19.*

In Augustino Spiritus manifestè operatus est, quod se (Ipso) dignum fuit, ad laudem suam, ad Ecclesiæ defensionem, Catholicæque Fidei perpetuam munitionem. Iste est Augustinus, Columna & Firmamentum Veritatis, & verè Columna Nubis, in qua suum posuit Thronum Sapientia Dei,

Honorius, *Presbyter Augustodunensis, L. II. de Luminaribus Ecclesiæ, c. 38.*
ex Edit. Aub. Miræi in *Bibl. Eccles.*

Augustinus, Vir Eruditione Divina & humana clarus, Fide integer, & Vita purus.

NB. Verba hæc Honorium mutuo accepisse à Genurdio, *Massiliensi Presbytero, Semipelagianorum ad secla, cujus de Augustino testimonium quoad cetera orthodoxis non immeritò suspectum est.*

Urbanus, *Papa hoc nomine quintus, in Bulla ad Tholosates,*
agens de Thoma Aquinate & c. cit. Sanderò :

Quantà à Deo Scientia dotatus ordinem Fratrum Prædicarorum & universalem Ecclesiam illustravit, ac Beati Augustini vestigia secutus eandem Ecclesiam Doctrinis & Scientiis quamplurimis ornavit!

Tritthemius, *Abbas Spanheimensis, de Script. Eccles.*

Augustinus, Vir tam in Scripturis Divinis, quàm in secularibus literis, omnium Doctorem eruditissimus, Sermone disertus, Eloquio clarus, Sensu profundus, Vita & Conversatione sanctissimus. Nemo sic profundè Sacram explanavit Scripturam, Christianos mores nemo sic utiliter instituit, nec Fidem Catholicam aliquis Eo ardentius defensavit. Introduxit Eum Rex in cellam vinariam, tantaque induit Fortitudine, quòd omnes adversarios Fidei fortiter oris sui gladio prostravit. Hunc si habueris Doctorem, etiam deficientibus cæteris, sufficit Ipse tibi.

Martinus, *Papa hoc nomine quintus, Sermon. de Translat. Monica :*

Augustino auctore factum, ut nec Philosophis Sapientiam invidemus, non Oratorum desideremus Eloquentiam, non nobis acumen Aristotelis sit necessarium, non Eloquentia Platonis, non Varronis Prudentia, non gravitas Socratis, non autoritas Pythagoræ, non Empedoclis Solertia, non cujusquam ullius generis hominum Scientia ac Virtus documento nobis esse debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem voces refert Apostolorum, idem omnium Scripturarum sensum omnem exprimit, unus postremò omnium Patrum Sapientumque ingenia ac studia exhibet. Si Veritatem quæritis, si Doctrinam, si Pietatem, quis doctior, quis, ut ita dicam, sanctior Augustino?

Pii, *Papa hoc nomine secundi, antè à Ænæ Sylvii, hoc*
Carmen de Augustino exhibet Sanderus :

*Barbarica gentis Decus, Augustine, perenne,
horrida quem nobis Africa terra tulit ;
Qui Scripturarum profers arcana Sacrarum,
Eloquiis referans abditâ cuncta tuis ;
Doctior, ingenia que omni cultissimus Arte,
& Studio prestans, Ingenio que nitens ;
Quem nihil obscurum latuit, sed & omnia florent,
atque humana simul Dogmata & alta patent ;
Cujus & instrumur Doctrinis, atque movemur
Exemplis, Probitas cujus in orbe micat ;
Millia librorum per te, Pater alme, leguntur
edra, qua promunt, quidquid ubique latet.*

Sixti, *Papa hoc nomine quarti, sequens testimonium habet Idem :*

Augustinus, inter intemeratæ Ecclesiæ Doctores præcipuus, & subtilissimus Evangeliorum & Sacramentorum Literarum Perferuator.

Antoninus, *Archi-Episcopus Florentinus, Histor. part. II. cap. 8. Tit. 10.*

Quasi Sol refulgens, qui Dominus dicitur Planetarum & pater Luminis, super omnia splendens Luminaria, sic Augustinus illustravit Ecclesiam, Gemma Doctorem, Pater Theologorum & c.

Vincentius Ferrerius, *Sermon. de Augustino :*

Audeo dicere, omnes, qui venerunt post Augustinum, Doctores sustentantur super Ejus doctrina, sanctâ, purâ, Catholicâ, auri purissimi, sine errore opinionum falsarum, & quilibet Doctorem est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam autoritatem Augustini.

Marci Hieronymi Vidæ, *Episcopi Albanensis, hoc de*
Augustino carmen refert Sanderus :

*Salve inter summos Nomen Venerabile Divos,
Augustine Pater, tua prestans Gloria famâ,
quòd quenquam aspirare nefas, sese extulit alis ;
nec tibi quis Veterum certaverit, omnia cedant*

Secla,

*Secla, nec inuideant primos tibi Laudis honores.
Tu Lux, tu fulgor penitus caligine mersis,
tu clarum rebus lucem das, atque nigrantem
Eloquio noctem insigni tenebrasque resolvis.
Te nunquam ullius fando violentia vicit,
te nulla incautum Veri sub imagine fugit
pellacis hostis fallacia. Solvere nodos
Tu bonus, atque dolos verborum aperire latentes,
tu mulcere potens hominum fera pectora, dicis
exacuens, animosque rudes formare colendo.*

Thomas de Villa nova, *Archi-Episcopus Valentinus, citante eodem Sanderò:*

Quæ Virtus, quæ Gratia defuit Augustino? Si Divina quæritur Sapientia, quasi Stella matutina in medio nebulae & quasi Luna plena in diebus suis lucet, & quasi Sol refulgens in Templo Dei.

Idem:

A Sole omnia lucent Astra, ab Augustino omnes, qui post ipsum fuerunt, Doctores, Sapientiae Lumen accipiunt.

Idem porro:

Augustinus meritò ab Ecclesia Malleus hæreticorum adpellatus.

Eccius in Epistola ad Erasmus:

Augustinus, tantum Ecclesiae Lumen, quo post primas Ecclesiae columnas nullum fuit illustrius.

Didacus Covarruvius, *variarum in Hispania Ecclesiarum successivè
Episcopus, Resol. var. T. II. Lib. 4. cap. 16. num. 5.*

Augustinus, Ecclesiae Doctor celebratissimus, in quem opulentus ille Spiritus, juxta ac benignus, omnes suas dotes effudit uberrimè, multa in Religionis Christianae patrocinium edidit opera, in quibus veram Theologiam, mores integerrimos absolutamque docet Pietatem &c.

Sixtus Senensis, Bibl. S. lib. 4.

Augustinus, Vir super omnes, qui ante & post eum hucusque fuerunt, mortales admirabili acumine Ingenii præditus, omnibus Disciplinis liberalibus instructus, Platonica Philosophia plenissimè imbutus, Aristotelicæ Doctrinæ non ignarus, in Scripturis Divinis omnium longè eruditissimus, & in earum Explicatione, ultra quàm dici queat, incomparabili Subtilitate sublimis &c.

Hieronymus Platus, de Bono Status relig. L. II. c. 25. de Hieronymo simul & Augustino:

Si quærimus Ingenium, nihil acutius; si Doctrinam, nihil eruditius; si docendi aut scribendi facultatem, nihil uberius; si verò Virtutem, nihil sanctius; denique, si Authoritatem, nihil gravius utroque in universa unquam extitit Ecclesia, aut existet unquam.

Idem L. III. c. 11. de solo agens Augustino:

Augustinus, uberrimus, copiosissimus, lenissimus; idem ad arduas quasvis Quæstiones, idem ad populares aptissimus Conciones, in quibus multa cum Gratia & Mentem instruit, & movet voluntatem.

Petrus Ribadeneira, in Vita Augustini:

Augustinus, Doctor magnorum Doctorum, à Deo doctus, Homo, qui de fonte Divinitatis bibit, ter sanctus inter Doctos, & ter doctus inter Sanctos, Cherubim per Scientiam &c.

Canus L. X. Loc. cap. 3.

Augustinum cum nomino, cave, quenquam anteponas; nec enim doctior fuit Augustino aut clarior Vir.

Hieronymus Torrensis in Dedic. Confess. August.

Cum multos post Apostolorum tempora tum Græca tum Latina Ecclesia clarissimos habuerit Viros, qui pro temporum Ratione Religionem nostram & conservaverint vigilanter, & strenuè defenderint, nemo tamen eorum, ut arbitror, majoribus, quàm Augustinus, Naturæ Deique donis instructus, ad res Ecclesiae juvandas plus Studii diligentiae que contulit. Fuit enim in Eo, quod vix paucis contingit, acutissimum Ingenium, acerrimum Judicium, fidelis admodum memoria, inveniendæ Veritatis ardens studium, Sedulitas nullis parcens laboribus, singularis quædam Mansuetudo, Lenitas, Modestia; denique, quidquid præclari Natura hominibus ingenerare solet, hoc ferè totum in Eo ipso invenire possumus, & admirari debemus. Et post aliqua: Si ex aliorum Patrum libris, qui multi & præclari extant, licet facere conjecturam, eorum nullus, quod bona illorum pace dixerim, cum tot tamque variis hæreticorum monstis decertavit, nullus eo in genere copiosior, nullus utilior, nullus doctior, nullus majori dexteritate hostiles tractavit animos.

Augustini Doctrina non unius Principis vel Provinciae auctoritate, sed plurimarum Nationum & ingeniorum populorum, adeoque totius Ecclesiae Catholicae suffragiis, legibus moribusque nititur, neque triginta vel quadraginta duntaxat abhinc Annis aliquam obtinuit Auctoritatem, sed ante Annos mille terrarum orbi proposita, recepta pariter atque comprobata, tot Seculis adversus fraudulentam haereticorum audaciam firma atque inconcussa perduravit. Quis autem sapiens atque cordatus Vir, si ullum Fidei & Religionis Adversorem ac Vindicem probat, non Augustinum amet, colat, atque commendet quam maximè? Deinde, si ullam omninò Confessionem sibi amplectendam censet, non Augustinianam ceteris anteponat? Habet Authorem longè gravissimum, cum nemine Novatorum propter Ejus in omni laudum genere excellentiam comparandum, habet sinceram Veritatis Catholicæque Doctrinæ testem omni exceptione majorem, & qui non de sua tantum, sed etiam de communi Patrum antiquorum & Ecclesiae Apostolicae constanti atque stabili Confessione nos bona fide reddit certiores. Habet non modò Virum sanctum, verum etiam Ecclesiae Theologum atque Doctorem, qui ab odio & amore partium alienus benè præclareque apud omnes suo merito audit, colitur, atque celebratur. Habet Pastorem & Episcopum Divinitus Ecclesiae datum, in quo jure miretur tota posteritas acrimoniam Ingenii, Doctrinæ soliditatem, Scripturæ sacræ peritiam, in disserendo subtilitatem, in adserendo constantiam, in judicando sapientiam, in vivendo sanctimoniam, in agendo fidem & industriam singularem. Habet sincerissimum Evangelii præconem, Verbi Divini solidissimum Interpretem, Veritatis & Gratiæ fidelissimum Adversorem, Apostolicæ Vitæ simul & Doctrinæ diligentissimum Cultorem, mirandæ in docendo & scribendo industriae, pariterque singularis Modestiae Virum, tamque Veritatis amantem, ut, si quæ minus commodè dicta suis Ipse Scriptis admisit, ea publicè duobus libris non sit veritus retractare.

Joh. Piscatorius, in præfatione ad Epitomen Augustinianam, operâ Joh. Pessellii, ordinis Prædicatorum provincialis, auctam, & Coloniae Seculo superiori editam:

Arianorum non ferendam impietatem, Pelagianorum dementem impudentiam, Manichæorum lascivientem religionem & Donatistarum fathanicum furorem usque ad eò contudit, & omnium illarum hæresum vires infregit, ut toto Cælo totaque terra eos perperam erravisse nec posteri tacebunt. Liberum quod vocant Arbitrium & Prædestinationem Dei, me judice, quis Eo vel felicius vel dexterius docuit descripsitque unquam? Quis Sacramenta Dei & Ecclesiae, tanquam pro Focis & Aris dimicans, Illo defendit vindicavitque sanctius atque verius? Quis denique Arcana sacræ Scripturæ quasi per Apodixes aliquando perterebravit & demonstravit vividius vel efficacius? Bone Deus, quem in sacra Theosophia non movit lapidem?

Et in paulò antecedentibus:

In Eo quod non inveneris, à ceteris Scriptoribus nec depolcere quidem audebis, is enim omnium Doctrinarum ubertate redundat, tum verò literarum sacrarum pugil in victis semper est habitus, qui etiam acumine Ingenii & magnarum rerum scientia, nec non Vitæ innocentia, humanâ Divinâque prospexit &c.

NB. Sanderum in hujus Testimonii adductione sequentia subjungere, que tamen in Editione posteriori desiderantur:

Ad Eum, tanquam ad Oraculum, ex orbe toto concursum fuisse, & à Doctores, Episcopis, ipsi denique summis Pontificibus Quæstiones explicandas Augustino delatas, ab his Augustinum ad Concilia invitatum, ex Illius Sententia esse condita Decreta, Ipsum Synodis præfectum, in consilium super controverſis ac difficultatibus adhibitum, causaque Solatii vel etiam Instructionis aditum constat.

Possevinus in Apparatu:

Qualis fuerit Ejus doctrina, Signum Divinum, Testimonia Synodorum generalium & Patrum, lucubrations Theologorum in Ejus Opera, & utilitas, quæ ad universam manavit Ecclesiam, abundè testantur.

Cornelius Lancilotus, L. III. de Vita Ejus, c. 38.

Mihi, ut & aliis, ea placet Sententia, quem ad modum Apostoli, Deo intus agitante, sic Augustinum pleraque fuisse locutum, eodem Doctore commentatum esse, eodem dicente tam ingenia excepisse volumina.

Cardinalis Perronius, teste Octavio, Senonensi Archi-Episcopo, supra citato, in Opere adversus Regem Britannia,

Augustinum vocat maximum post Apostolos Doctorem Prædestinationis, imò linguam & os veteris Ecclesiae, quantum ad Doctrinam spectat de Gratia Dei.

Sanderus post plerorumque de Augustino testimonia de suo hac addit:

Cum venia aliorum & infimus ego omnium dicam de Eo, inferiora esse omnia præcedentium de Ipso Elogia; neque enim particulatim potuerunt secuturas Ipsius scire laudes, nisi etiam secutura inde scirent & promanatura in Ecclesiam Dei commoda. Ergo, quia posteriorum temporum lapsu videmus, quod alii videre non potuerunt, plures ortos esse & quaquaversum dispersos ab illa Vite palmites, sit laus Ejus apud Deum & homines amplior.

Svarezius, Proleg. 6. cap. 6. de Gratia, citante iterum Octavio Senonensi &c.

Apostolica Sedes sancti Augustini Doctrinam de Gratia Dei, in his, quæ ad Dogmata pertinent, suam effecit, ac probavit. Et post verba Johannis Papæ hoc nomine secundi, dicentis, sancti Augustini Doctrinam secundum Prædecessorum meorum Statuta sequitur & servat Ecclesia Romana, addit: Hæc maximè verum habere in Doctrina, quam Augustinus tradidit de Gratia; nam illius ductum Judiciumque secuta Ecclesia Romana inimicos Gratiæ Christi prorsus evertit, ac de illis triumphavit. Hinc verò

Verò possumus colligere, quidquid Augustinus de Gratia docet, quòd cum illis Ecclesiæ definitionibus sit necessariò connexum, omninò sequendum, & tanquam certum esse tenendum, quia totum illud, licet non expresse, virtute tamen, ab Ecclesia est probatum. Addimus ulterius, quidquid in hac materia Augustinus adfirmat ut certum, & ad Fidei Dogmata pertinens, à quolibet prudente Theologo & erudito tenendum esse ac defendendum, etiamsi non certò constet, esse ab Ecclesia definitum, quia, cum Ecclesia in hac materia tantum detulerit Augustino, ut Ejus Doctrinam in damnandis erroribus Dei Gratia contrariis fuerit secuta, magna temeritas esset Doctoris privati, qui Augustino aliquid de Gratia Dei, tanquam orthodoxum docenti, auderet contradicere, præsertim, cum tot Annis, tanta Sapientia, Ingenio tanto, tanta Diligentia & Instantia, & quod caput est, tot Dei donis & auxiliis præditus pro Gratia Dei tuenda & explicanda laboraverit. Porro: Nihil tam admirandum & suspiciendum Ecclesiæ reddit Augustinum, quam Doctrina de Gratia. At si in ea tradenda & explicanda aliquando fuisset in errorem lapsus, multum labefactaretur Ejus auctoritas, immeritòque Ecclesia tam fidenter Judicium Ejus in hac Doctrina fuisset secuta, quòd impium esset cogitare. Undè tandem concludo, non tantum in rebus, quas Augustinus existimat certas, sed etiam in his omnibus, quæ simpliciter & tanquam probabiliora constanter & ubique amplectitur, Sententiam Ejus esse præferendam, nisi communis Patrum & Ecclesiæ auctoritas obflare videatur, quod rarò vel nunquam continget.

Vasquez in part. 1. Theol. Disp. 89. cap. 1.

Multò melius est nobis cum Augustino, quam cum aliis, sentire, qui in materia de Gratia & Prædestinatione inter ceteros Ecclesiæ Patres non aliter, quam Sol inter cetera minora Sidera, præfulget.

Et cap. 4.

Tamet si aliorum Patrum auctoritas in omni Controversia magni ponderis apud omnes esse debeat, in hac tamen (de Gratia &c.) unus pro multis mihi semper erit Augustinus.

Et Disp. 91. cap. 9.

Quid mirum, si Patres Græci, qui cum Pelagio parùm disputaverant, non tam exactè de Gratia senserint, sicut Augustinus, qui longo tempore bellum cum Pelagio, ejusque reliquiis, felicissimè sustinuit.

Idem in primam Sec. Disp. 190. cap. 6. num. 37.

Quamvis nullus esset ex Patribus, quem pro Sententia de Gratia necessitate scholastici Doctores possent adlegare, in uno solo Augustino, Ejusque Scholæ opinionis præsidium libenter collocarent, eumque sibi sufficere merito arbitrarentur, quòd unicus sit, qui, dum agitur de Gratia necessitate, sicut Sol inter reliquos præfulget, cujus quidem Doctrinæ egregium testimonium & commendationem in prima Cælestini Epistola, ad Galliæ Episcopos exarata, habemus.

Clemens, Papa hoc nomine octavus, in Concilio de Auxiliis Gratia, hæc inter alia fecit verba:

Quamvis nisi Deo rationem reddere debeam actionum mearum, dicam tamen in præsentiarum rationes, propter quas adstringere statui totam hanc Disputationem ad normam Doctrinæ sancti Augustini de Gratia. Prima est, quòd si, teste beato Prospero, ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum spatio acies Ecclesiæ Catholicæ ita dimicavit pro Gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino Duce vicerit, oportet etiã, ut in causa Concilii Eundem agnoscamus Ducem, & sequamur. Secunda est, quòd idem Sanctus nihil videtur eorum prætermisisse, quæ ad præsentem pertinent Controversias &c. Tertia tandem ratio est, quòd, cum multi Pontifices & Prædecessores nostri Doctrinæ sancti Augustini tam acres fuerint adsertores ac Vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est, ut patiar illam hac hæreditate privati.

NB. Hoc testimonium & Vasqueziano & Svarezziano anteponendum.

Cornelius à Lapide in Ezech. c. 28. v. 14.

Augustinus à Paulino & aliis vocatur Sal terræ, Puteus Sapientiæ, Magister Theologiæ, Flos Ingeniorum, Ornamentum Scholarum, Templum Religionis, Ecclesiæ Columna, Scutum Fidei, Exemplum Prælatorum, Lux Prædicatorum, Doctor Doctorum, Homo Theodidactus, Eruditorum sanctissimus & Sanctorum eruditissimus.

Franciscus Mendoza in Viridario Eruditionis sacre & profane, L. III. Probl. 1.

Augustinus, Theologiæ Coryphæus, ac omnibus Auctoritatis nominibus adèd insignis, ut magnum Mundi haberetur Miraculum. Et iterum: Omnium Ingeniorum Princeps, omnium Theologorum Doctorum, omnium in quibuscunque Facultatibus Sapientum Antesignanus.

Joh. Caramuel, Theol. Fundam. p. 607. Edit. Francof.

Contemnat Augustinum, qui velit, hoc tamen sciat unicum, in Quæstionibus pluribus gravioribus Pontifices & Ecclesiam Romanam, ut Veritatem invenirent, ad Augustini Doctrinam confugisse.

Alexander, Papa hoc nomine septimus, in literis ad Facultatem Theologicam in Academia Lovaniensi:

Non dubitamus, quin pro singulari Scientia Pietatisque studio sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis Declarationes & sanctorum Patrum traditiones requirunt, Doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimum Ecclesiæ Doctorem, Augustini & Thomæ Aquinatis, inconcussa tutissimaque Dogmata sequi semper, uti adseritis, ac impensè revereri velitis; quorum profectò sanctissimorum Virorum penes Catholicos universos ingentia & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent.

NB. Integram Alexandri Epistolam ad Lovanienses exhibet Launojus Sorbonista in Dissert. de vero Authore Profess. Fidei, quæ Pelagio, Hieronymo, Augustino solet tribui, c. 11.

Ad hujus Elogii confirmationem pertinet Edictum, quo Decanus Universitatis

ad publicationem ejus Academicos invitavit, atque hortatus est:

Ut intersint solemnè Millæ, per Facultatem Theologicam ibidem celebranda: pro longæva incolumitate ac felici Regimine Alexandri Papæ, qui præter alia paternæ erga eandem Academiam benevolentiæ

tiæ argumenta Apostolico Rescripto in forma Brevis ad ejusdem preces eam decorare dignatus est, quo sanctissimos, Augustinum & Thomam Aquinatem, Scholæ Facultatis Patronos & Magistros, uti præclarissimos Ecclesiæ Catholicæ Doctores deprædicat, Eorumque Dogmata, tanquam inconcussa tutissimaque, & proinde semper sequenda & impensè reverenda, commendat, subjungens, penes Catholicos universos ingentia & omnem laudem supergressa nomina eorundem Sanctissimorum novi præconii commendatione non egere &c.

*Pertinet huc Judicium Academia Salmanticensis in Hispania,
quod Sanderus exhibet verbis sequentibus:*

Theologia scholastica olim extitit, tanquam militia quædam expeditissima Ecclesiæ militantis, à sanctis Patribus relicta suis Successoribus in Scriptis, quò facilius debellarent infideles, licet Regulis Diælecticis, quæ tunc Ecclesiæ erant suspectæ, illam non adaptaverint; nam hæretici, dictis Regulis abutentes, consequentiis usi sunt Sophisticis. His postmodum armis hæreticos Catholicos exspoliârunt, iisdemque utentes, consequentias eorum malas esse deprehendentes, errores eorum solo fundatos vento confutârunt. Horum autem heroicorum facinorum Princeps & antesignanus fuit Augustinus, inter Theologos scholasticos eminentissimus, non enim in confutandis tantâ energiâ hæreticorum erroribus similis illi repertus est; declaravit enim altissimum Mysterium in libris de Trinitate, de Gratia & libero Arbitrio, ex quibus Concilia generalia suos canones contra hæreticos, prout videre est in Concilio Arausicano & Milevitano, postmodum in Tridentino collegerunt &c. Et ut Possidius affirmat Sententia, id Legi deest Divinæ, quidquid Augustinum contigerit, ignorare; nulla enim materia est Theologica, quæ mirum in modum operibus sancti Augustini non respondeat, ita, ut non sit inventus illi similis &c.

*Neque solum Universitates Academica sic sentiunt de Doctrina Augustini, sed ipsa etiam Universitas
Ecclesiæ Romanensis in Brevariario eum commendat, ita loquens inter alia:*

Tam multa piè, subtiliter & copiosè scripsit, ut Doctrinam Christianam maximè illustrârit; quem in primis secuti sunt, qui postea Disciplinam Theologicam tradiderunt &c.

*Huc etiam referri possunt testimonia, quæ in Martyrologio Romano & Usuardi citat Sanderus,
quæ, cum nihil exhibeant novi, brevitatis gratia nunc quidem omittuntur.*

*Prætermitti autem minime debent tria recentiorum quorundam, Stylo, ut vocant, lapidali scripta,
quæ, cum in paucorum veniant manus, huc in Lectoris curiosi gratiam adponuntur.*

*Inter ea primum occupat locum, quod Petrus l' Abbe, Soc. Jesu, operi Elogiorum inseruit,
vocans illud Dogmaticum, ab initio libri secundi extans sequenti tenore:*

Ingenium Augustini nemo hæcenus totum novit,
Ingenii sui limites Augustinus ipse nescivit,
Monstrum Ingenii fuit alius, & monstrum sibi.
Exhaust se Africa, dum tale portentum tulit.
Adolescens non tam discere, quam meminisse videbatur;
Dixisses, non adquirere Scientias, sed innatas habuisse.
Didicit Aristotelem sine Magistro;
vix cum Aristoteles sine Doctore didicisset.
Exhaustis omnibus Scientiis, adhuc sciendi avidus,
didicit errores Manicheorum, ut haberet, quod de disceret.
Laudavit eos errores, dum nescivit, refutavit, dum didicit,
& nondum Fidei discipulus jam pugnavit pro Fide.
Superatâ Naturâ diu luctatus est cum Gratia;
Expertus est, se ab Ea non cogi, dum diu resistit,
Nec violentus fuit consensus, quem negavit, dum voluit,
Agnovit tamen, sufficientem fuisse Gratiam, quâ vinci potuit.
Non accusaret moras suas, nisi properare potuisset;
Nec potuit, nisi vires offerret Gratia sufficiens, & nondum vincens.
Vicit tandem Gratia efficax vinci volentem.
Sic delectavit, ut svaderet, sic svastit, ut cogeret;
Recusare illam poterat, etiam, dum admisit.
Admisit illam Voluntas libera, sed non sola;
prævenit Gratia nolentem, & adjuvit volentem.
Incepit Deus sine Augustino, ut vellent Augustinus cum Deo.
Nec meruit Augustinus Gratiam, quæ fecit merentem;
Data est immerenti bene cum Gratia merituero.
Nemo acrius Gratia resistit,
nemo fortius pro Gratia stetit.
Mirata discipulum Gratia mutavit in Magistrum,
docuitque Artem vincendi, dum Augustinum vicit.
Post eam victoriam nemo par fuit Augustino;
Pelagius, Julianus, Donatus Augustini umbram timuere.
Nec tantum errores præteritos refutavit, sed futuros;
damnavit Janfenium, nondum à Roma damnatum.

Opposuit antitheses erroribus futuris,
distingxit Augustinum ab Augustino,
& puto, cum antipodes negavit, Jansenium intellexit.
Debet Augustinus Gratia, quod de Gratia didicit;
debet Augustino Gratia, quod de Gratia docuit.
Debet multum Augustino Roma,
plus Roma debet Augustinus.
Non esset Doctor Gratia, nisi esset discipulus Roma.

Sequitur Joh. Baptista Masculus, ejusd. Soc.
cujus in Encomiis hac leguntur:

Nil in te, Augustine, non Monstro majus;
nempe in Africa natus es.
Punicus homo veram tutatus es Fidem,
at non punica fide.
Nusquam Roma praesidium invenit certius,
quam in Carthagine.
Non tam hac illi olim integris obsuit copius,
quam postea te uno profuit Milite.
Nil magis caput haberi novum,
quam quod Africa, desinens monstra parere nova,
Domitorem peperisset monstrorum etiam veterum.
Alterum Carthago protulit Annibalem robore,
sed obstrictum Sacramento pro Roma.
Ille Venenum habuit in Annulo,
Tu antidotum in Calamo.
In utriusque digitis vel Mors est versata, vel Vita;
sed ille hausit, Tu evomisti virus.
Ille duro fregit Alpes aceto,
Tu Mero similibus fractus es Lacrymis;
plus maternis debuisti oculis, quam uberibus.
Nunquam visus es Mente constantior,
quam cum castra mutasti,
nunquam insignior, quam cum deseruisti Signa.
Miles transfuga acclamatus es Imperator,
ostendisti jam sanire Manetem & nomine & re insanum.
Xerxes compunxit infestum ferro pelagus,
sed acutius Tu stylo Pelagium.
Nemini Fortuna tam felix fuit in Bello,
quam Tibi, qui superbos Religionis hostes fecisti miseros,
cum scilicet Felicianum, Fortunatum & Faustum
inominata fecisti Nomina.
Stoicos eduxisti e porticu in Solem,
laccessisti, ut tecum pro clara Veritate certarent.
Epicureos evocasti ex hara,
castarum cultor ararum.
Ut veteris tuae Vita discuteret tenebras,
eas proferre non puduit in lucem.
Sed cum fassus es crimina, esse desisti reus.
Nemo in Oedeo cecinit syavius,
quam Tu, cum recantasti dicta.
Sacrum instituisti Agonem,
Sed Athletam inunxisti Lacrymis.
Eam, quam Divinitus es architectatus Civitatem,
non aequarunt Athena, non Roma;
evanuit ipsa Civitas larvata Platonis.
Illa habita est Academia doctrinae praestantior,
quam adversus Academicos disputans instituisti.
Musicae perfecisti quae calamo, quae concentu Virtutum.
Audierunt boni Cytharam, adversarii tubam.
Tradidisti de Virtutis Agone praecipua,
Olympionices victoris celebris, & Aliptes.
Lucidum efformasti Speculum Vitae,
non umbratili, sed expressa Virtute.
Proposuisti Spectaculum bonis gratissimum,
Constitutum Natura & Gratia.

Mirum!

Mirum! opposuisti Nature ea, quæ ab ipsa acceperas, arma,
acumen Ingenii;
Victricis Gratia liber a suspendisti trophæa,
sed nullum nobilius, quàm te ipsum.

Ultimus sit tandem, & colophonem hinc testimonii imponat, Leo Matina, Abbas Cassinensis,
& Professor Patavus, qui in Musæo sic Elogium Augustini exponit:

A portentosa Africa Cæli Sphinx exit,
Solvendis A Enigmatibus monstruosa.
Monica parens, Oculo quàm Ventre fecundior,
isto terris Virum, illo Cælis Angelum dedit.
Conchylum dicas, cum Lacrymas
in pretiosum Unionem converterit.
Augustinus furens olim Taurus,
ad Ficum adligatus, serociam deposuit.
Sub hac Arbore nuditarem cum primo Parente agnosens,
Christum induere festinavit.
Tunc Ecclesie fucus dulcem protulit grossum suum.
Catholica Religioni in Africa penè expiranti
Atramenti succo vitam restituit.
Africana portenta, quæ semper aliquid novi in Ecclesiam adferebant,
clamant sagittâ prostravit.
In Fortunato, Manichæorum hydrâ concremandâ fortunatus.
Orcus, qui Carthagine Augustinum Manichæis novâ Amibalem substituerat,
Mediolano ruinis suis Ecclesie Scipionem evasisse conquestus est.
Africam in se barbarum peperisse dixit,
Viperam appellavit sibi vel mortuam in filijs venenosam.

En, Lector, varia Variorum de Augustino judicia, non omnia, sed potiora, ut præscripsi. Prætermissa sunt, quæ Hieronymus, Paulinus, alii de Eo vel ad Eum scripserunt, ut potè ex Epistolis nemini non cognita. Plura ex mediis exhibet Sanderus, non tanti tamen cum his æstimii. Verùm & hæc non unius sunt census, in quibus quid jure desiderari possit, opus hoc docet. Nimirùm non laudant Evangelici Augustinum tanquam infallibilem, neque hæc Vindictæ alium habent scopum, quàm ut disputent ad hominem, ac adversariis eam eripiant gloriam, quæ se genuinos jactant Augustini discipulos. De cætero dedit Celebrerrimus antehac Ehingerus, Antiquitatis Ecclesiasticæ & Veritatis antiquæ Scrutator sedulus, Augustinum labilem, Scriptum, quod cum pluribus aliis manu propria exaratum, quo fuit erga me affectu benevolo, mihi proprium, potest verò aliis etiam commune, voluit esse. Sed quid dico, labilem, imò lapsum quoque non semel, cujus Sententias à vero aberrantes per seriem Tomorum, ad stipulantis ut plurimum Doctoribus Papæis, exhibuit Idem ingenuè. Verùm ad rem ipsam!

